UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Generalis Totivs Sacri Ordinis Clericorvm Canonicorvm Historia Tripartita

Pennotto, Gabriele

Coloniae, Anno M.DC.XXXXV.

LVI. De Priuilegijs per Summos Pontifices dictæ Congregationi largitis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38634

Visual Library

multis artes illas exercuiſſe, ex his, quæ typis ſunt edita, hæc habentur Vitæ Illuſt. fœminarum vtriuſque teſtamenti. lib. 1.
Cœnaculum deſiderabile in Canticum Canticorum. lib. 1.
Platea vniuerſalis. & alia quædam. obijt circa annum 1590.

Zacharias Lilius Vicentinus ex canonico regulari Lateranenſi Epiſcopus Sebaſtẽſis à Leone X. renunciatus, ſcripſit Dictionariũ Geographũ, & Coſmographum, quod laudatur à Petro Calcedonio in quadam epiſtola ad Marcum Antonium Sabellicum. floruit circa annum 1520.

CAPVT QVINQVAGESIMVM SEXTVM.

De Priuilegijs per ſummos Pontifices Canonicis Regularibus Congregationis Lateranenſis conceſſis.

I. CIrca priuilegia, & indulta per ſummos Pontifices conceſſa noſtræ congregationi multa forent ſcribenda, quæ ſi cuncta nunc perſtringere mens eſſet, integrum volumen exſcribere oporteret. Verùm quòd illa vel omnia, vel ſaltem præcipua Baſilius Sirenius proprio volumine perſtrinxerit, & paucis abhinc annis ediderit. & quæ in ipſo volumine deſiderari videbantur, nos in hoc libro ſuis quæque locis diſpoſita reſtituimus nũc quod præſentis loci, ac inſtituti ratio poſtulare videtur, circa prædicta priuilegia quatuor legentes animaduertere monemus.

Primum eſt, omnia, & ſingula priuilegia, indulta, gratias, immunitates, & exemptiones non ſolùm per Romanos Pontifices, verũ etiam Imperatores, Reges, Duces, Barones, & Principes, Dominia, & communitates ſingulis monaſterijs, & locis noſtræ Congregationis, ſeu Religionis conceſſa, & conceſſas, & etiam in poſterum concedenda, & concedendas, in omnibus, & per omnia ad vniuerſa, & ſingula loca, & monaſteria, Prioratus, & Præpoſituras, & domos, eorumque perſonas, quæ nunc, & præcedenti tempore ad huiuſmodi religionem, & congregationem ipſius, & ad eiuſdem fratres, & canonicos reducta, vel vnita ſunt, ſeu reduci, & vniri contigerit, cum illorum ſuppoſitis, vel vnitis, vel in poſterum iuſto titulo acquirendis, pariformiter, & vniformiter extendi. patet per priuilegium Martini V. datum Tibure pridie Kalend. Iulij Pontificatus illius anno 4. videlicet anno 1421. quod incipit: *Solicitudinis Paſtoralis* in illis verbis *ſtatuẽtes inſuper eadem autoritate pariter, & ordinantes, vt tam huiuſmodi ſtatuta, ordinationes, & voluntates, noſtraque cætera priuilegia, cõceſſiones, immunitates, & gratiæ ſingulis antedictis monaſterijs, ac locis ipſius Religionis, ac congregationis prædictæ per Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ſeu pro Romanis Pontificibus ſe gerentes, Imperatores, Reges, Duces, Barones, & Principes, Dominia, Communitatesq; conceſſa, & conceſſa, quæ omnia præſentibus haberi volumus pro expreſſis, & in poſterum fauente Domino concedenda, in omnibus, & per omnia ad vniuerſa, & ſingula loca, & monaſteria, Prioratus, & Præpoſituras, & domos, eorumq; perſonas, quæ nunc, & præcedente tempore ad huiuſmodi religionem, & congregationem ipſius, & ad eiuſdem fratres, & canonicos reductæ, vel vnita ſunt, ſeu reduci, vel vniri contigerit, cum illius, aut illorum ſuppoſitis, vel vnitis, aut per eoſdem canonicè acquiſitis, & iuſto titulo acquirendis, vt præfertur, extendi debeant, cum omnibus dictæ congregationis, & religionis moribus, & modis. Conſuetudinibus, & obſeruantijs, ordinationibus, & priuilegijs, atque ſtatutis, conſtitutionibus, atque reſeruationibus Apoſtolicis, atque noſtris generalibus, vel ſpecialibus quorumcunque tenorum exiſtant, alijsq; contrarijs non obſtantibus quibuſcunque. nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper præmiſſis à quoque, quauis autoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, Nulli ergo, &c.* Secũdò patet per aliud priuilegium Martini V. datum Romæ apud ſanctum Petrum anno 1450. Kalend Ianuar. Pontificatus ſui anno tertio, quod incipit: *Ex prouiſione Sedis Apoſtolicæ.* per quod prædicta Martini Quinti conceſſio ſpecialiter confirmatur. quod priuilegiũ habetur in Lib. Indultorũ dictæ congregationis fol. 327. Tertiò, patet ex alio ſimili priuilegio per Iulium III. canonicis regularibus S. Saluatoris de Bononia conceſſo anno Dom. 1551. 10. Kalend. Nouemb. Pontif. illius anno 2. quod incipit: *Cum à nobis petitur, &c.* & habetur in eodem libro Indultorum Congregationis Lateranenſis pag. 496. in quo notanda ſunt iſta verba: *Et deinde recolendæ memoriæ Iulius Papa II. ſimiliter prædeceſſor noſter, cuiuſuis particularis monaſterij, ſeu loci tam vniti, quam vniendi, tam præſentis, quam futuri dictæ congregationis priuilegia, conceſſiones, quocunque nomine nuncupatas, immunitates, & gratias tam per Romanos Pontifices, quam alios quoſcunque conceſſas, in omnibus, & per omnia ipſi toti congregationi, & alijs eius particularibus monaſterijs eſſe communia, & ad illa extendi: præfatamque congregationem, ac omnes, & ſingulos illius canonicos gaudere omnibus, & ſingulis, &c.* quo priuilegio ipſi quoque canonici regulares congregationis Lateranenſis pariformiter, & vniformiter gaudent, prout etiam omnibus, & ſingulis alijs priuilegijs dictæ congregationis S. Saluatoris de Bononia nuncupatæ.

SEcundò aduertendum eſt, omnia, & ſingula priuilegia, indulta, conceſſiones, immunita- II

teſque

teſque per Romanos Pontifices, Imperatores, Reges,& Principes cõceſſa Sacroſanctæ Lateranenſi Baſilicæ, aut illius locis, & membris ſubiectis,& canonicis, vel clericis, & perſonis eiuſdem Lateranenſis Baſilicæ, pariter, & vniformiter eſſe conceſſa omnibus, & ſingulis canonicis regularibus, perſonis, monaſterijs,& alijs locis dictæ congregationis Lateranenſis: dictoſque canonicos regulares Lateranenſes vbilibet exiſtentes dictæ Lateranenſis Baſilicæ clericos, miniſtros,& religioſos, ac de ipſius Capituli gremio in omnibus iuribus,& priuilegijs cenſeri patet primò per priuilegium Eugenij Quarti datum Romæ anno Incarnationis Dominicæ 1446. 18. Kalend. Ianuarij, Pontificatus illius anno 16. quod incipit: *Cum ad Sacratiſſimam venerandam Baſilicam,&c.* in illis verbis: *Decernimus præterea, & ſtatuimus, vt deinceps omnes dictæ congregationis conuentus,& loca ab huiuſmodi ſanctæ Baſilicæ titulo, & totius congregationis capite nomen accipiant, &* SALVATORIS CONGREGATIO *appelletur, & ſingulos dictæ congregationis canonicos, vbicunque Domino ſeruientes, huius Baſilicæ clericos, miniſtros,& religioſos, ac de ipſius Capituli gremio in omnibus iuribus,& priuilegijs cenſeri decernimus, ac ibidem ſummi Regis laudes, obſeruationes, gratiarum actiones, & quotidianas preces, ac ſacrificia pro populi Chriſtiani,& Romanæ Eccleſiæ ſalute deuoto corde, & purisſimis mentibus offerant,&c.* Secundò patet per priuilegium Nicolai V. proximè allegatum in illis verbis: *Nos igitur, qui ad congregationem ipſam, illiuſque monaſteria, Eccleſias, & loca, ac perſonas propter eorum laudabilem, ac religioſam vitam, & multiplices,& vberes fructus, quos in vinea Domini, Altiſſimo miniſtrante, gratiam dietim afferunt, ſingulari ſeruatione afficimur, ipſos,& eorum monaſteria, atque loca ſpiritualibus fauoribus, atque gratijs proſequi volentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, autoritate Apoſtolica,& ex certa ſcientia, tenore præſentium tam Martini, quam Eugenij literas prædictas, necnon omnia, & ſingula in eis contenta, ac quæcunque inde ſecuta approbamus, ac pleno firmitatis robore ſubſiſtere, necnon perpetuis futuris temporibus inuiolabiliter obſeruari debere, decernimus. necnon concedimus, & indulgemus omnibus, & ſingulis congregationis canonicorũ huiuſmodi Eccleſijs, monaſterijs, Prioratibus, locis, & perſonis præſentibus, & futuris, vbicunque conſiſtentibus,& conſtituendis, quod in prædictis Martini, & Eugenij prædeceſſorum contentis literis, ac omnibus, & ſingulis alijs exemptionibus, priuilegijs, immunitatibus, libertatibus, gratijs, & indultis, bonis,& iuribus ſpiritualibus,& temporalibus conceſſis,& concedendis, quibus dictæ Eccleſiæ veſtra, ſeu Baſilica Saluatoris Lateranen, eiuſque ſuppoſita vtuntur,& gaudent, ſeu vti, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, in omnibus,& per omnia pari modo, & abſque vlla differentia in perpetuum, vti poſſunt pariter, & gaudere.* Tertiò patet ex alio priuilegio Sixti Quarti, dato apud Sanctum Petrum anno 1472. Calendis Maij, quod incipit: *Regimini Vniuerſalis.* per quod motu proprio omnia, & ſingula antedicta priuilegia canonicis regularibus Lateranenſibus ab Eccleſia Lateranenſi exactis confirmat, in illis verbis: *Motu proprio, non ad ipſius congregationis Lateranenſis, vel alicuius illius canonici, vel alterius pro illis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate omnes,& ſingulos, tam Eugenij quoad intitulationem congregationis, quam omnium, & ſingulorum priuilegiorum, immunitatum in eis contentorum, ac aliorum prædeceſſorum literas approbantes, & confirmantes, ex certa ſcientia, autoritate Apoſtolica decernimus,& declaramus, tam per prædictas Calixti prædeceſſoris noſtri, quam noſtras literas, & inde ſecuta quæcunque eidem congregationi Lateranenſi quoad intitulationem, nec non immunitates, priuilegia, gratias,& indulta huiuſmodi, tam per Eugenium, quã per alios prædeceſſores noſtros dictæ congregationi Lateranenſi, eiuſque canonicis,& perſonis conceſſa in nullo præiudicatum, ſeu derogatum fuiſſe, aut eſſe quoquo modo: & pro potioris cautelæ ſuffragio literas Eugenij huiuſmodi in priſtinum, & eum ſtatum, videlicet quoad intitulationem congregationis, necnon priuilegia, immunitates gratias, & indulta illi conceſſa, in quo erant, antequam à Calixto prædeceſſore, & etiam à nobis literæ huiuſmodi emanarent, quomodolibet exiſtebant, autoritate,& ſcientia ſimilibus reponimus, reſtituimus, & plenariè reintegramus. Statuentes denuo, & etiam ordinantes, quod canonici prædicti perpetuis futuris temporibus, non Beatæ Mariæ de Friſonaria, ſed Lateranenſes vbique ab omnibus vocentur, intitulentur, & etiam nuncupentur. Calixti prædeceſſoris, atque noſtris literis in ſuo pleno, & firmo robore permanſuris.* Item ex alio priuilegio Sixti Quarti, quod ſupra cap. 31. reddidimus,& ex alijs confirmationibus Romanorum Pontificum ſequentium.

TErtiò aduertendum, eoſdem canonicos re- III.
gulares congregationis Lateranenſis, vti, & gaudere omnibus,& ſingulis priuilegijs, indultis, & immunitatibus conceſſis venerandæ congregationi monachorum Caſſinenſium ordinis ſancti Benedicti cui cum ſint conceſſa omnia priuilegia monachorum aliarum congregationum, etiam canonici regulares Lateranenſes dictis priuilegijs pariformiter vti poſſunt. Patet per priuilegium Sixti Quarti, datum Romæ apud S. Petrum anno 1477. 10. Kalend. Septembr. quod ſupra cap. 31. legi poteſt. in illis verbis: *Cumque acceperimus, & reipſa didicerimus, congregationem ſanctæ Iuſtinæ de Padua ordinis ſancti Benedicti, &c.* Videantur ibidem §. 32. Patet ſecundo per confirmationes ſequentium Pontificum, & præſertim Gregorij XV. die 23. Auguſt. per quam non ſolum priuilegia dictæ Ven. congregationi ante Sixtum Quartum conceſſa, & per eundem Sixtum Quartum ad ipſos canonicos regular. Lateranenſes extenſa confirmat, ſed alia poſt Sixtum Quartum eiſdem monachis conceſſa, & etiam

in poſterum concedenda, ad eandem congregationem Lateranenſem extendit: quod priuilegiũ ſtatim ſubijciemus.

Quartò cum à nonnullis in dubium reuocaretur an canonici regulares Lateranenſes gauderẽt omnibus, & ſingulis priuilegijs congregationis canonicorum regulariũ S. Saluatoris de Bononia, idem Gregorius XV. noua conceſſione omnia, & ſingula dictæ congregationis de Bononia nuncupatæ priuilegia ad ipſam congregationem Lateranenſem pariformiter, & vniformiter extendit, prout ſubiectum illius Priuilegium monſtrat ſic:

Gregorius Papa XV. ad perpetuam rei memoriã. Iniuncti nobis Apoſtolici muneris ratio poſtulat, vt Sacrarum Religionum gratos Domino fructus aſſiduè præſtãtium paternam curam gerentes priuilegia, gratias, & indulta illis à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris conceſſa, quò validius perpetuò ſubſiſtant, Apoſtolicæ confirmationis robore libenter communiamus. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Iacobus à Bononia, Procurator Generalis Canonicorum regularium congregationis Lateranen. ordinis S. Auguſtini, quòd nonnulla monachorum congregationis Caſſinẽſis, ordinis D. Benedicti, & alia diuerſa priuilegia, gratiæ, & indulta, à diuerſis Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, eidem Congregationi Lateranenſi, tam per viam communicationis, & extenſionis, quàm aliàs conceſſa fuerunt. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubiungebat Iacobus prædictus, plurimum cupiat priuilegia, gratias, & indulta huiuſmodi pro eorum maiori validitate, & ſubſiſtentia, Apoſtolicæ noſtræ confirmationis robore communiri, & alia priuilegia eidem Congregationi Caſſinenſi hucuſque conceſſa, dictæ Congregationi Lateranenſi concedi, Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, vt ſuper præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Iacobum prædictum ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, ipſumque, ac ſingulares dictæ congregationis perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſq; Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutas forè cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati; Omnia, & ſingula priuilegia, gratias, & indulta prædicta per quoſcunque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros eidem congr. Lateranen. tam per viam communicationis, et extenſionis, quàm alias, vt præfertur conceſſa, dummodo tamen ſint in vſu, & non ſint reuocata, neque ſub aliquibus reuocationibus comprehenſa, Sacriſq; Canonibus, & Concilij Tridentini decretis, & Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, ac noſtris Conſtitutionibus, non aduerſentur, Apoſtolica autoritate tenore præſentium perpetuò approbamus, & cõfirmamus, illiſq; inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac quatenus opus ſit, dictæ congregationi Lateranenſi de nouo concedimus. Præterea eidem congregationi Lateran. illiuſq; Abbatibus, Superioribus, Canonicis, aliiſq; perſonis, quòd omnibus, & ſingulis alijs priuilegijs gratijs, & indultis tam ſpiritualibus, quam temporalibus, tam eidem congregationi Caſſinenſi in hunc vſque diem quam congregationi canonicorum regularium ſancti Saluatoris Bononienſis, illarumque Abbatibus, Superioribus, & perſonis quibuſcunque etiam, vt præfertur, aut alias quomodolibet per quoſcunque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac etiam Nos conceſſis, ac quibus vtuntur, fruuntur, & gaudent, ac vti, frui, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum, dũmodo ſimiliter ſint in vſu, & non ſint reuocata, neque ſub aliquibus reuocationibus comprehenſa, nec Sacris Canonibus, ac Concilij prædicti decretis, aut Conſtitutionibus Apoſtolicis repugnent, pari modo vti, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant autoritate, & tenore præſentis etiam concedimus, & indulgemus. Decernentes præſentes literas perpetuò validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ac primo dictæ congregationi, aliiſque prædictis in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari: ſicque per quoſcunque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis autoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtante Noſtra de gratijs ad inſtar non concedendis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit Ordinis, & Congregationis huiuſmodi, etiam iuramento confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis eorum omnium tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die 23. Auguſti 1622. Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

S. Card. S. Suſanna.

Porrò autem ex hactenus tum in hoc Tertio libro, tum in toto volumine fideliter, veraciterque deductis, laborioſum non eſſet, aliquorum ſcribentium notas in ipſam Lateranenſem familiam cõiectas abſtergere, illaſq; præſertim, quas recens autor Ioſephus Mozzagrugnus in quodã ſuo volumine, cui titulum præmiſit: *Narratio rerum geſtarum Canonicorum Regularium.* Venetijs anno 1622. apud Alexandrum Polum typis edito, ex Apologijs, & libellis Pauli Bergomatis, Ambroſii Coriolani, & quorundam aliorum magno ſtudio conquiſitas, cum auctario multorum ſcommatum collegit, quod ſupra libro ſecundo cap. 51. ſpoponderam, & meritò forſan præſtandum mihi eſſet. nam vt ſermone primo de Communi vita clericorum, B. Auguſtinus ſcribit: *Prouidemus bona, vt ait Apoſtolus,*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſtolus, non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus. propter nos conſcientia noſtra ſufficit nobis, propter vos fama noſtra non polluit, ſed pollere debet in vobis. tenete quod dixi, atque diſtinguite: duæ res ſunt conſcientia, & fama. conſcientia neceſſaria eſt tibi: fama proximo tuo. qui fidens conſcientiæ ſuæ negligit famam ſuam, crudelis eſt: & ſermone ſecundo in principio: *Quia enim, vt ait Apoſtolus, ſpectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus, qui nos amant, quærunt, quod laudent in nobis; qui autem nos oderunt, detrahunt nobis. Nos autem in vtroque medio conſtituti, adiuuante Domino Deo noſtro, & vitam, & famam noſtram ſic cuſtodire debemus, vt non erubeſcant de detractoribus laudatores.* Cæterum quoniam Illuſtriſſimi Domini Cardinales ſacræ Congregationis Indicis Decreto nuper facto memoratum volumen dicti Ioſephi Mozzagrugni prohibuerunt, pro ſuſcepta meæ congregationis inculpata, legitimaque tutela, & pro conuenienti reſponſo dictum eorundem Illuſtriſſimorum Dominorum Cardinalium Decretum mihi ſatis eſſe iudicaui. Ad laudem Dei ſanctiſſimæque Dei Genitricis ſanctæ ſpei matris, Beatiſſimorum Apoſtolorum Canonici Ordinis Protoparentum, & Sanctiſſimi Patriarchæ noſtri Auguſtini, & omnium Sanctorum. Amen.

Omnia verò tum in his tribus libris, tum in alijs omnibus ſcriptis, dictis, contenta, vel explicata, cenſuræ, correctionique S. R. E. Catholicæ, & Apoſtolicæ, corde ſincero, & animo volenti libentiſſimus ſubijcio Ego D. Gabriel Pennottus Nouarienſis Canonicus Regularis Congregationis Saluatoris Lateranenſis. Romæ in Canonica noſtra Sanctæ Mariæ Pacis.